

QK. 524. II De Euclide et ejus scriptis

B. m. II, 470

L. D. B. V.

AD

II C  
308

# SOLENNEM PANEGYRIN,

Qua

Die proximo Saturni post horam octavam matutinam  
**XXI VIRI-JUVENES DOCTISSIMI**  
Honorum Academicorum primitiis,

Quas

## PRIMAM

In

# PHILOSOPHIA LAUREAM

VOCANT,

Mere consueto decorabuntur,

MAGNIFICUM ACADEMIÆ RECTOREM,  
UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES ET  
ACADEMIÆ CIVES DECENTER INVITAT

Facultatis Philosophicæ  
DECANUS.

BIBLIOTHECA  
POnickaviana





Nter Eruditos, quorum scripta ætatem tulerunt, publicoque emolumento ad seros posteros fuerunt propagata, dubium non est, quin post Homerum Euclides emineat, non Megareus ille, cuius vitam Laërtius edidit, sed qui, quacunque patria ortus, regnante in Ægypto Ptolemæo Lagi, Alexandriæ primus omnium Scholam Mathematicam aperuit, ex qua tot deinceps insignes Mathematici prodierunt. Bis mille enim lapsi jam ab eo tempore, quo doctrina is in primis Geometrica floruit, anni sunt, & hodieque tamen, ut alia ingenii ejus monumenta, quæ supersunt, in pretio habentur, ita Elementa præcipue ejus Geometrica, ob quæ Proclo & veteribus aliis *νατ*' *εξοχὴν* dici *Στοιχειωτὴς* consuevit, in Scholis Geometricis regnant, & nobilissimæ Scientiæ studiosis velut solida basis, cui uberiora felicissime superstruant, ex merito commendantur. Non provocabimus ad veterum, Pappi, Procli, & omnium, qui Geometriam excolere sustinuerunt, testimonia; e recentioribus vel unius Cardani, at quanti Viri! adduxisse sufficerit, qui libro XIII de Subtilitate ita de his Elementis pronunciat: *Horum inconcussa dogmatum firmitas, perfectioque adeo absoluta, ut nullum opus jure huic aliud comparare audeas.* Quibus fit, ut adeo veritatis lux in eo resulseat, ut soli hi in arduis questionibus videantur posse a vero falso discernere, qui Euclidem habent familiarem. Ut profecto scriptor Gallicus, Claudio Verderius, in *Censione autorum omnium veterum &* recen-

*recentiorum*, qui splendidus est miseri libelli titulus, dum Euclidem indigestum esse & incompositum ait, moxque subjungit: *Oedipodem esse necesse est*, qui hunc velit intelligere; proponit enim sua problemata, nec manum ad circinum adhibet; proponit quoque theorematum, nec ullum demonstrat; nonnisi ridendum se omnibus propinaverit, & vel uno hoc inepto judicio reprehensionem beati Morhofii nostri meruerit, qui Polyhistoris L. I. c. XVI de eo memorat, *manifestam hominis phrenesin facile deprehendi*, ubi censuram suam exerceat. Equidem non dissimulamus, suisse, qui non inutilem operam illustrandis Euclidis Elementis præstiterint, ut facile est inventis addere. Nam jam ex veteribus Theonem nonnulla adjeccisse Euclidis Elementis, ipse agnoscit in Prælectionibus suis celeberrimus Savilius; tametsi & eorum, qui propositiones Elementorum Eucli, demonstrationes Theoni tribuunt, & Petri Rami, qui tam propositiones quam demonstrationes Eucli abjudicat, universa Theoni attribuens, opiniones velut stultas falsasque explodat. Nostra vero atate haud parum luminis Elementis affuderunt Geometræ clarissimi, Barrovius, De Chales, Pardies, Sturmius, Tacquetus, aliquie, & hoc ipso anno in nova Tacqueti Elementorum editione Cantabrigiensi Guilielmus Whiston, Mathefeos Professor Lucasianus; seu illustratis & faciliori methodo exhibitis, quæ incipientibus difficiliores videri poterant, demonstrationibus; seu compendiosa magis via propositis, quæ per ambages nimias ab Euclide erant exposita; seu adjectis corollariis practicis & propositionum vario usu indicato, modisque quibuscunque aliis. Verum hi omnes tamen tantum abest ut erga communem orbis in Geometria per viginti secula præceptorem reverentiam exuerint, ut ipsius fundamenti feliciter positi gloriam Eucli relinquant, nec nova ipsi Elementa condere, sed Euclidea excolere sustineant. Ipsi temporum nostrorum Heroës, quibus calculum differentialem, methodum indivisibilium, Arithmeticam infinitorum, & novissimam fluxionum doctrinam

aliaque debemus, verecundantur de sede sua Euclidem dejice-  
re, quin ejus potius Elementa a studiosis pralibari & in succum  
velut ac sanguinem converti, ex iisque syntheticam illam ve-  
terum Geometrarum constructionem, tanquam Scientiarum  
Mathematicarum basin inconcusam additici cupiant, ante-  
quam ad altiora illa progrediantur. Quæ cum ita sint, non  
sine applausu ac tripudio exceptum iri arbitramur, ab omnibus  
horum studiorum æstimatoribus, novam eamque elegantissi-  
mam & accuratam omnium Euclidis, & quæ a nonnullis illi tri-  
bui solent, Operum editionem Græco-Latinam, quæ nuperri-  
me Oxoniæ in Anglia e theatro Sheldoniano felicibus aspi-  
ciis prodiit. Probe meminimus, talem jam ante viginti, &  
quod excedit, annos meditatum fuisse Eduardum Bernardum,  
Astronomiæ in illustri Oxoniensi Academia Professorem Savi-  
lianum, Amicum nostrum, dum viveret, æstimatissimum. Sed  
quod ille morte præventus præstare non potuit, præstitit feli-  
cissime, qui Savilianam cathedram hoc tempore cum laude te-  
net, David Gregorius, ingenuo tamen in Præfatione professus,  
ex laudati Bernardi libris, qui in Bibliotheca Bodleiana asser-  
ventur, Latinam Federici Commandini Elementorum versio-  
niem infinitis in locis a se castigatam, & in expoliendis Græcis,  
editioneque universâ & vitiis etiam typographicis liberanda,  
plurimum auxilio amicissimum nobis Joannem Hudsonum, S.  
T.P. & Protobibliothecarium hoc tempore Bodlejanum, at-  
tulisse. Sed videamus, quæ in nova hac editione, & quo ordi-  
ne contineantur. Et primo quidem loco ipsorum *Elemen-*  
*torum libri quindecim* comparent; et si Gregorius noster fa-  
cile assentiatur iis, qui postremos duos Euclidis non esse existi-  
mant, sed Hypsicli Alexandrino, qui ducentis post Euclidem  
annis floruit, malunt tribuere. Utī vero operam Editor clari-  
fissimus dedit, ut & Græcus textus & Latina versio mendorum  
quorumque expers prodiret: ita notas nullas adjecit, nisi cum  
textum corruptum restituere, aut Scholium a sciolo interpo-  
latum restituere opus esset. Sic enim persuasum habet, Ele-  
menta

menta hæc clariora esse & intellectu faciliora, ubi sola exhibentur, quam ubi scholiis & lemmatis innumeris obrutus ipse Euclides vix appareat. Sequuntur Euclidis *Δεδομένα*, seu *Data*, quibus Marini Philosophi *ēis τὰ Δεδομένα Προθεωρία* præfigitur. Cumque *Data* hæc comparata ad Analytic Geometram, & ejus quasi Elementa sint veteribus Geometris familiaria, in Præfatione sua Gregorius insignem locum ex Pappi Alexandrini præfatione ad L. VII Collectionum Mathematicarum, quo veterum Analysis Geometrica accurate describitur, & quidem, cum Græce nondum extet, Græce exhibet, adjuncta Commandini versione. Dein Tractatus Musici sistuntur, *Introductio Harmonica*, & *Sectio Canonis*, quos enuperis scriptoribus quidam Eucli tribuerunt: et si Gregorius ab iis dissentiat. Nam posterior quidem ille adscribi Eucli plane non potest, cum Sectionem Canonis primus introduxerit Ptolemaeus, ante quem de ea cogitaverat nemo: prior vero, cum Aristoxeni hypothesin per omnia sequatur, potuit quidem ab Euclide proficisci, sed id tamen affirmari certo nequit, cum veterum nemo ejus uspiam meminerit. Quia occasione Gregorius in præfatione accurate de dupli veterum hypothesi Musica, Aristoxenea & Ptolemaica differit. In tractatibus vero ipsis edendis, Meibomii editionem Veteris Musicæ Scriptorum Amstelodamensem A. 1652. secutus est, ejusdemque etiam versionem, paucissimis immutaris, retinuit. Tractatus Musicos excipiunt *Phænomena*, liber unicus, quo cœlestia Euclides attigit. Eorum textus Græcus nunc primo lucem aspicit: versio Latina Josephi Auriæ ex editione Romana A. 1591 est, at passim emendata. Sequuntur porro *Optica* & *Catoptrica*, cum versione Latina Joannis Penæ, & notis celeberrimi Savilii, quas margini codicis sui adscriperat. At ut Savilius agnoverat, Euclidis Opticæ & Catoptricæ libros non magni esse momenti: ita Editor noster suspicatur ex rationibus non contempnendis, opus esse spurium, aut certe temporis lapsu prouersus corruptum. Hinc exhibetur liber de *Divisionibus*,

qualem ab Euclide scriptum Proclus quidem testis est, sed num hic genuinus ille codex sit, in medio a Gregorio relinquitur. Editur etiam tantum Latine, cum Græce nullibi reperiatur. Agmen claudit fragmentum de *Levi & Ponderoso*, Euclidi a nonnullis tributum, sed haud dubie spurium. Sed his immorari diutius nobis non licet. Ad rem enim tandem veniendum, sistendique Viri-Juvenes, quorum gratia hæc a nobis scriptio suscepta est. Sunt vero illi

**I. Christianus Henricus Boffek,**  
Gauditio-Lipsiensis.

**II. Christianus Ehrenfried Seyffert,**  
Crœbra-Misnicus.

**III. Georgius Christoph. Bütnerus,**  
Weissenfelsensis.

**IV. Johannes Ditericus Herrichen,**  
Heinersdorffio-Francus.

**V. Daniel Neukirchner,**  
Annæbergensis.

**VI. Paulus Theophilus Hofmannus,**  
Torgaviensis.

**VII. Johannes Ernesti,**  
Coburgensis.

**VIII.**

VIII. Johannes Fridericus Wolf,  
Freibergensis.

IX. Johannes Jacobus Stöckhard,  
Bischofswerdensis.

X. Henricus Sigismundus Opitius,  
Dœbelensis.

XI. Johannes Ulricus Henrici,  
Calbensis Palæo-Marchicus.

XII. Johannes Adamus Lempius,  
Dresdensis.

XIII. Scipio Carl Joh. Casp. Rumpff,  
Mindensis Westphalus.

XIV. Christophorus Zippelius,  
Langenavia-Görlicensis.

XV. Joh. Daniel Riedel,  
Freibergensis.

XVI. Christophorus Lindner,  
Lauba-Lusatius.

XVII. Joh. Georgius Ficker,  
Crosna-Silesius.

XVIII.

QK  
The  
308

X 304 7733

VIII. Joh. Christoph. Schanterus,  
Grypheberga-Silesius.

IX. Samuel Rudolph Gerstecker,  
Grumbachensis Misnicus.

XX. Gottlob Adolphus,  
Grypheberga-Lusatus.

XXI. Josias Henricus Opitius,  
Kiloniensis-Holsatus.

His enim omnibus atque singulis primum in Philosophia gradum, quem explorata justo examine a nobis eruditione sua optime promerentur, die proximo Saturni, post octavam matutinam, more consueto conferre Facultas Philosophica constituit. Cui solennitati ut interesse dignentur, Magnificum Academiae Rectorem, utriusque Reipublicæ Proceres, Nobilissimamque Studiosam Juventutem decenter rogamus.

P. P. Domin. XXV. Trin. A. MDCCIII.

Typis FLEISCHERIANIS.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



### Farbkarthe #13

Centimetres

*De et eius scriptis*

B. m. II, 470

*Q. D. B. V.*

AD

# EM PANEGYRIN, *Qua-*

*ni post horam octavam matutinam*  
IVENES DOCTISSIMI  
Academicorum primitiis,

*Quas*  
**RIMAM**  
*In*  
**OSOPHIA**  
**IREAM**  
VOCANT,  
*e consueto decorabuntur,*

ACADEMIAE RECTOREM,  
EIPUBLICÆ PROCERES ET  
IVES DECENTER INVITAT

*atis Philosophicæ*  
**E CANUS.**



II C  
308